

obrogatione colligitur. Contra vero fit, ubi subrogatur legi priori. Nam cum legi nonnihil adiicitur lege posteriori, illa non cessat, nec vires amittit, imo retinet, sed cum augmentatione et accessione legis posterioris. Fit igitur per subrogationem iuris prioris immutatio, sed eiusmodi, qua nihil detrahitur, sed non nihil additur priori legi. Est igitur inter illas quatuor legum mutandarum caussas vel figuræ hoc, ut manifestum, ita momentosum discrimen, ut, legis abrogatione et derogatione facta, lex cesseret, et quidem omnino: obrogatione facta, lex similiter cesseret, sed secundum quid, videlicet contrario substituto, et denique, subrogatione facta, lex non cesseret, sed non sufficiat. Quid vero his est consequens? scilicet hoc, verissimum quidem esse, leges priores speciales legibus posterioribus generalibus, abrogando, derogando et obrogando, et, nisi, legislatorem, manifestissimis argumentis doceatur, hoc ipsum voluisse, in re dubia minime vinci, sed leges priores speciales, cum lege posteriori generali inest subrogatio, huius auctoritate omnino sic vinci et superari, ut iam non amplius solae obtinerent, sed cum sua accessione! Quae res ex se clara. Nam, quae rationes suadent, ut monito PAVLI in